Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et non mouebuntur. Gentes uidelicet insule
que salsis amarisque huius seculi tunduntur
fluctibus, iubentur audire et ora conclu
dere, et illud nosse quod ad israhel dictum
est: Audi israhel et tace. Et mutare forti
tudinem, ne per inbecillitatem pristinam
dei non possint audire sermonem,
ut accedant prius ad dominum. Et quia
non sint propria salute contenti, quod
didicerint ceteros doceant, ut cum
domino disputent, utrum omnium deus
iusta seruauerit. Sic autem interro
gat eas et ad respondendum prouocat,
ut interrogatione doceat quod igno
rant. Quis suscitauit ab oriente
iustum, siue iustitiam? Neque enim
iudeorum tantum deus, sed et gentium, qui
uocauit christum dominum saluatorem qui
factus est nobis sapientia a deo et iusti
cia et sanctitas et redemptio, in quo iusti
tia eundem omnibus sequeretur. Vocauit
autem eum ut sermonibus sequeretur et opera
patris faceret, ut illud impleret di
cens: Deus ut facerem uoluntatem tuam
uolui. In huius conspectu reges et gen
tes colla submittent, et gladio illius
ac sagittis aduersarie potestatis
quasi stipula subicientur et puluis. Perse
quetur eos, reges uidelicet et principes
gentium singularum, et pertransibit in
pace, ad pacem cunctos uocans ut
reconcilientur deo. Semita in pedibus
illius non parebit, id est uie laborem non sen
tiet, nec aliquam inbecillitatis huma
ne lassitudinem, sed de torrente bibet
in uia, et propterea eleuabit caput. Quis
est inquit hec operatus et fecit? Quis

suscitauit iustum siue iustitiam? Quis
ei gentes et reges tradidit? Quis gla
dio eius et arcui uniuersa subiecit?
Utique ille qui ab initio mundi hec fu
tura predixit, qui omnium conditor
est. Et quia dixerat suscitantis affatu:
Quis suscitauit ab oriente iustum et
cetera, cunctis tacentibus, ipse respon
dit: Ego sum dominus, primus et nouissimus
ego sum. Ipse est qui in apokalipsi
iohannis loquitur: Ego sum alfa et w, princi
pium et finis. Viderunt insule, id est gentes
et ecclesie degentibus congregate, que
mundi huius sustinent tempestatem
et timuerunt dominum. Principium enim sa
pientie timor domini. Omnes terrarum ter
mini ad apostolorum uerba tremuerunt,
appropinquantes et ad christi euangelium pariter
accedentes. Cumque se ipsos cernerent
esse saluatos, id quod supra audierant ac
cedant, et tunc loquantur, opere conpleuerunt
ut auxiliarentur proximis suis, et fratres
suos uellent in domino confortare, et dicerent
eis: Recedite ab ydolis, simulachra
demonum antiqua contempnite, que
humana finxit manus, que malleo
cudente producta sunt, que conpacta glu
tino que stabilita clauis ut non moue
antur, et cum steterint ambulare non ualeant.
Que nos super persona christi et uocatione
gentium et predicatione euangelii atque ydo
lorum condempnatione interpretati sumus
quidam ad cyrum regem persarum referunt,
quod suscitauerit eum aduersum ba
bylonios de oriente et parere sue fe
cerit iussioni, prosternens ei gentes
plurimas, et gladio illius et arcui cuncta